

# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

## TRACTATUS DE PECCATIS.

Peccatum, generaliter consideratum, est quilibet defectus a lege vel a regula: in ordine naturali, monstrantur peccata contra naturam; in artibus, opera defectuosa dicuntur peccata contra regulas sibi proprias; in moralibus actus humani a regulis morum deficientes, simpliciter dicuntur peccata.

Peccatum, eo posteriori sensu acceptum, est objectum præsentis Tractatus: spectatur ut legi morali oppositum et recte definitur: *Libera transgressio legis divinæ*. Ad hanc definitionem aliæ communiores doctorum definitiones referuntur, v. g., ista *S. Thomæ*, 1 2, q. 71, art. 6: *Peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus*, id est a bono deficiens; et hæc alia celebris *S. Aug.* contra *Fauftum*, l. 22, c. 27: *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam*; item illa *S. Ambrosii*, l. de Paradiso, cap. 8: *Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cælestium inobedientia præceptorum*.

Sub nomine facti, dicti et concupiti, comprehenduntur non solum actus positivi, his verbis expressi, sed etiam peccata omissionis, quia voluntaria non fit ommissio sine actu voluntatis, et peccatum originale, quod quidem nec factum, nec dictum, nec concupitum est in infantibus illud habentibus, sed ita fuit in Adamo.



BIBLIOTECA PÚBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

J.M

B X 1751

B 6

1856

U. 5

Omne peccatum merito dicitur legi æternæ oppositum, quia nulla lex etiam humana, vere obligans, violari potest, quin eo ipso lex æterna, ordinem servari præcipiens, offendatur; et inde præcise malitia peccati deducitur, id est, ex oppositione cum voluntate Dei. Recte ergo definitur: *Libera transgressio legis divinæ, vel inobedientia legi Dei.*

Duplici modo considerari potest peccatum, in genere scilicet et in specie: unde præsentis Tractatus duplex erit pars.

## PARS PRIMA.

### DE PECCATO IN GENERE.

Dicemus 1<sup>o</sup> de natura peccati; 2<sup>o</sup> de subjecto peccati; 3<sup>o</sup> de ejus causis, et 4<sup>o</sup> de peccatorum distinctione.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE NATURA PECCATI.

Cum ex definitione allata et ab omnibus expresse vel æquivalenter admissa, omne peccatum sit transgressio legis divinæ, sequitur illud necessario esse offensam Dei; necessario quippe legi æternæ, seu supræmæ Dei rationi adversatur: at impossibile est Deum per hujusmodi prævaricationem non offendi; ergo. Ruit igitur systema peccati philosophici, quo scilicet ratio offenditur et non Deus, quia philosophus illud spectat tantum ut rationi adversum, non vero ut legis divinæ transgressionem; quidquid enim in ordine morali rectæ rationi adversatur, eo ipso legis æternæ est transgressio. Ergo. Unde Alexander VII

sequentem damnavit propositionem, anno 1690: « Peccatum philosophicum seu morale est actus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque mortale peccatum. » Vide *Coll. Andeg., des Péchés.*

Non eodem sensu accipiuntur vitium, peccatum et malitia. Vitium est habitus ad malum inclinans, malitia est qualitas alicujus actionis legi oppositæ: bonitati morali adversatur. Peccatum vero est ipsemet actus quo lex violatur.

Hic querere solent theologi an malitia peccati formaliter sumpta sit aliquid positivum, an vero in privatione rectitudinis debitæ consistat. Subtilissime olim disputaverunt in scholis circa hanc quæstionem: multi tenuerunt malitiam peccati esse qualitatem positivam realiter existentem; alii vero multo plures contenderunt illam esse rectitudinis debitæ privationem.

Posteriorem hanc sententiam celebriores Patres Ecclesiæ amplexi sunt, ut systema Manichæorum facilius everterent; ideo enim malum Principium admittendum esse volebant Manichæi, quia repugnat malum morale a Principio summe bono creatum fuisse. At auctores eos impugnantes aiebant: Malum morale est mera negatio boni, sicut tenebræ sunt negatio lucis: porro tenebræ causam positivam non requirunt, sed ipso solis recessu nascuntur: ergo a pari malum morale nullam arguit causam creatricem, sed duntaxat voluntatem humanam a rectitudine deficientem. Vide *Billuart, de Pecc. dissert. I, art. 3.*

Cum autem hæc controversia valde sit abstrusa, eam sic breviter exposuisse satis erit; non enim præcepit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum sit, illudque attente vitare.

## CAPUT SECUNDUM.

## DE SUBJECTO PECCATI.

Sola creatura rationalis peccati subjectum esse potest; peccatum enim est libera transgressio legis divinæ: porro sola creatura rationalis hujusmodi transgressionis est capax: ergo.

Non omnis creatura rationalis essentialiter est peccati capax: excipiuntur enim 1° sancti Angeli et animæ beatorum visione intuitiva in cælo fruentes; et 2° animæ in purgatorio detentæ, quæ, extra viam positæ, amplius peccare nequeunt. Ut autem actio creature rationalis sit peccatum, duæ necessario requiruntur conditiones, videlicet advertentia rationis et liber voluntatis consensus.

1° *Advertentia rationis*. Repugnat quippe aliquem peccare si humano modo non agat: porro actus humanus intelligi non potest, nisi cum aliqua saltem fiat advertentia: ergo. Necessaria est igitur vel actualis malitiæ actus cognitio, vel aliqua saltem dabitatio peccati aut periculi peccandi: si vero inadvertentia fuerit volita in se vel in causa, a peccato non excusabit. Unde impij qui huc usque pervenerunt ut atrocissima perpetrent scelera, de Deo minime cogitantes, non ideo excusantur a peccato.

2° *Liber voluntatis consensus*; probavimus enim in Tractatu *de Actibus humanis*, libertatem indifferentiæ necessariam esse, in statu naturæ lapsæ, ad merendum aut demerendum. Ergo. Unde quilibet actus coacti aut necessarii, peccaminosi esse nequeunt: contra vero quælibet transgressio legis actualiter obligantis, libere volita in se vel in causa, peccatum est mortale aut veniale. De voluntario indirecto sufficienter diximus in Tractatu *de Actibus humanis*.

Ex eo quod voluntas sit peccati subjectum, sequitur illam absque ullo actu externo peccare posse, videlicet per actus mere internos.

Inter actus voluntatis distinguuntur desiderium et delectatio morosa.

Desiderium est propositum, appetitus rei malæ; potest esse efficax vel conditionatum. Quando est *efficax*, scilicet, quando tale est propositum rei malæ, ut res mala compleretur, nisi aliquid existeret obstaculum a voluntate non pendens, certum est illud esse coram Deo peccatum ejusdem speciei ac objectum desideratum. Unde Christus, Matth. v, 28: *Omnes qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

Quando desiderium est *conditionatum*, si talis sit conditio ut malitiam actus tollat, v. g.: hodie jentarem, si jejunium non esset præscriptum; talem puellam vellem habere uxorem, si matrimonium mihi liceret, tunc peccatum non esset, quia desiderium sic formatum nihil inhonesti haberet, licet facile periculosum fieret. Contra vero, si conditio malitiam actus non tollat, v. g.: fornicarer si infernus non existeret, si confusionem coram hominibus non timerem, etc., talis conditio a peccato minime excusaret.

Delectatio morosa est complacentia voluntatis in objecto malo per imaginationem ut præsentem repræsentato, absque desiderio ad executionem deveniendi. Dicitur morosa non a diuturnitate temporis, cum unum momentum sufficiat, sed a mora voluntatis cum sufficienti advertentia.

Delectatio potest esse de cognitione rei malæ, de modo quo peracta est aut perfici potest, vel de ipsa re mala ut præsentem repræsentata. In priori casu, delectatio non est de objecto malo, ac proinde non est peccatum, nisi ratione curiositatis, scandali, periculi, aliquid inordinatum contineat.

Delectatio autem de ipsa re mala est peccatum mortale aut veniale, juxta qualitatem objecti in cujus representatione fit delectatio, quia voluntas malitiam induit objecti, et legi Dei vere opponitur.

Plures theologi volunt delectationem specificari ex objecto in se spectato et cognito; alii vero plures contendunt

illam specificari ex objecto per imaginationem ut præ-  
senti representato. Vide quæ de morosa delectatione  
dicimus in *Dissertatione in sextum Decalogi præceptum*.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE CAUSIS PECCATI.

Ille solus proprie est causa peccati, qui illius est sub-  
jectum, cui peccatum commissum imputatur; ea tamen  
causæ peccati dicuntur, quæ ad peccandum nos inducunt.  
Aliæ sunt interiores et aliæ exteriores.

##### *De causis peccati interioribus.*

Causæ peccati interiores sunt ignorantia, concupiscen-  
tia et malitia.

1<sup>o</sup> *Ignorantia* ex parte intellectus, quæ scilicet saltem  
aliquo modo est volita, a peccato non excusat, ut in *Trac-  
tatu de Actibus humanis* probavimus, et insuper potest  
esse causa peccati; multa enim faciunt peccatores ob-  
cæcati, quæ, depulsa ignorantia, non facerent. Unde  
B. Paulus, I Cor. II, 8: *Si cognovissent, nunquam Domi-  
num gloriæ crucifixissent.*

2<sup>o</sup> *Concupiscentia* quæ afficit voluntatem, illamque  
trahit ad malum: *Concupiscentia subvertit cor tuum*, in-  
quit Daniel, xiii, 56: *Unusquisque tentatur, a concupis-  
centia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia,  
cum conceperit, parit peccatum*; sunt verba B. Jacob. I,  
14 et 15. Ergo. Non tamen ipsa in se spectata, quatenus  
ad objectum sensibile et illicitum nos inclinât, est pec-  
catum, ut *Lutherus, Calvinus* alique non pauci hæretici  
asseruerunt, dicentes hoc peccatum in renatis non im-  
putari ob merita Christi; nullum quippe est peccatum  
ubi nulla est libertas: at nulla est libertas in hujusmodi

concupiscentiæ motibus quibus non assentimur: ergo.  
Hinc sequens damnata est propositio *Baii*, n. 75: « Mo-  
tus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati,  
» prohibiti præcepto: *Non concupisces*; unde homo eos  
» sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum:  
» *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum  
» non imputetur. »

3<sup>o</sup> *Malitia*. Quandoque enim homo perversus, neque  
ignorantia laborans, neque pravo motu attractus, malum  
deliberate eligit, ut ait Job, xxxiv, 27: *Quasi de indus-  
tria recesserunt a Deo*; vel, ut in Prov. II, 14: *Lætantur  
cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis*. Tunc  
dicuntur ex pura malitia agere. Ergo.

##### *De causis peccati exterioribus.*

Causæ externæ peccati sunt occasiones et diabolus;  
quidam hæretici assignare Deum non erubuerunt, ut  
dicemus.

1<sup>o</sup> *Occasiones*. Quælibet res externa inducens ad pec-  
catum, dicitur occasio: certum est multa fieri peccata  
propter occasionem, quæ secus non fierent. Nomine oc-  
casionis intelliguntur etiam homines ad peccatum solli-  
citantés vel illud suadentes. De occasione peccandi et  
obligatione illam fugiendi vel tollendi fusius diximus  
in *Tractatu de Pœnitentia*.

2<sup>o</sup> *Diabolus*. Certum est enim diabolus homines variis  
modis ad peccatum excitare, et, quantum potest, trahere,  
ut patet historia Evæ, quam decepit, et B. Job, quem  
seducere conatus est: unde B. Petrus fideles admonet,  
dicens I Epist. v, 8: *Sobrii estote et vigilate, quia ad-  
versarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit  
quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide*. Ex his  
verbis tamen patet diabolus non esse causam peccati  
efficacem, sed tantum impulsivam, alioquin Apostolus  
frustra hortatus esset fideles ad resistendum fortes in  
fide: aliunde libertas a necessitate non existeret, ac con-  
sequenter peccatum imputari non posset.

3° Primi reformatores, liberi arbitrii existentiam tol-  
lentes, ad hanc monstruosam ducti sunt conclusionem,  
videlicet Deum esse causam peccati. « Sicut fatentur  
» Papistæ, inquit *Mélancthon* (Annot. in Epist. ad Rom.,  
» cap. 8), Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur  
» opera Dei propria esse Davidis adulterium, » etc. Alia  
pariter horrenda proferre non erubuerunt *Lutherus*, *Cal-*  
*vinus*, *Zuingle*, *Bèze*, etc.

Hanc sententiam ex principio ab eis admissio profluentem  
fulcire conabantur pluribus Scripturæ sacræ textibus,  
v. g., Exod. ix, 12 : *Induravit Dominus cor Pharaonis*, de  
quo dicit Apostolus, Rom. ix, 17 : *In hoc ipsum excitavi*  
*te, ut ostendam in te virtutem meam*. Prov. xvi, 4. *Omnia*  
*propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque*  
*ad diem malum*, id est ad condemnationem. Isai. xlv,  
5 et 7 : *Ego Dominus... formans lucem et creans tenebras,*  
*faciens pacem et creans malum : ego Dominus faciens omnia*  
*hæc*. Rom. i, 28 : *Tradidit illos Deus in reprobum sen-*  
*suum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, etc.

Verum 1° probavimus, in Tractatu *de Actibus humanis*  
libertatem a necessitate necessariam esse ad merendum  
aut demerendum. 2° In multis Scripturæ locis clare de-  
claratur Deum non esse peccati auctorem, sed, e contra,  
illud valde detestari ac prohibere, v. g., Ps. v, 5 : *Non*  
*Deus volens iniquitatem tu es*; Eccli. xv, 14, 21 : *Nemini*  
*mandavit impie agere*; Rom. ix, 14 : *Numquid iniquitas*  
*apud Deum? absit*; Jacob. i, 13 : *Nemo, cum tentatur, di-*  
*cat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum*  
*est, ipse autem neminem tentat*. Textus igitur ab hæreti-  
cis allati alio sensu intelligendi sunt, ut manifeste os-  
tendunt interpretes, scilicet, vel eo sensu quod Deus  
permittat peccatum, vel quod gratiam indebitam ob præ-  
cedentia peccata subtrahat, vel quod quædam in se bona  
aut indifferentia operetur ex quibus homo malitia sua  
incitetur ad peccandum; vel quod voluntates ita dirigat, ut  
quædam misericorditer impediatur peccata, alia vero juste  
permittat, etc. 3° Concil. Trid., sess. 6, can. 6, hæc habet :  
« Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas

» malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari,  
» non permissive solum, sed etiam proprie et per se,  
» adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio  
» Judæ quam vocatio Pauli; anathema sit. »

4° Hodierni Protestantes hanc negant absurdam impie-  
tatem : nulla igitur est ratio illam fusius refellendi. Ergo.

## CAPUT QUARTUM.

### DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

Certum est non unicum esse peccatum in mundo, sed  
multa et varia : duplici modo igitur a se invicem distin-  
guuntur, specificè scilicet et numerice. Dicemus 1° de  
distinctione specifica, 2° de distinctione numerica, et 3° de  
circumstantiis speciem mutantibus, aut malitiam intra  
ejusdem speciei limites aggravantibus. Cam, ex dictis in  
Tractatu *de Pœnitentia*, detur præceptum divinum decla-  
randi in confessione numerum peccatorum, species, cir-  
cumstantias speciem mutantem, et probabiliter circum-  
stantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes,  
totum præsens caput magni est momenti.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE DISTINCTIONE SPECIFICA PECCATORUM.

Ea peccata specie differunt quæ non eandem habent  
malitiam, sed diversam, ut homicidium, furtum, blas-  
phemia, luxuria. Ut igitur distinctio specifica peccatorum  
cognoscatur, attendendum est utrum diversam habeant  
malitiam, juxta communem hominum sensum : unde  
hæc distinctio non desumitur, 1° ex oppositione notabi-  
liter majori cum lege, quia talis oppositio notabiliter  
major auget quidem malitiam peccati, sed eam non  
mutat : v. g., furtum mille aureorum longe gravius est  
furto unius aurei, sed diversam non habet malitiam, ac

proinde ab illo specie non differt; 2° non ex distinctione præceptorum; fieri enim potest ut eadem malitia sit contra plura præcepta simul existentia, v. g., furtum quod prohibetur lege naturali, lege divina positiva, lege civili et lege ecclesiastica.

## PROPOSITIO.

*Distinctio specifica peccatorum repetenda est ex oppositione specie diversa cum lege.*

*Prob.* Peccatum est transgressio libera legis: essentialiter igitur consistit in oppositione cum lege; unde toties peccata specie inter se differunt, quoties oppositio cum lege est specie diversa: porro oppositio cum lege specie est diversa, quando 1° diversæ offenduntur virtutes; 2° diversa violantur officia ejusdem virtutis; 3° eadem læditur virtus modo contrario, vel modo diverso.

1° *Quando diversæ offenduntur virtutes.* Sic hæresis, desperatio, odium Dei et superstitio sunt peccata specie distincta, quia opponuntur virtutibus fidei, spei, charitatis et religionis: sic furtum in ecclesia vel rei sacræ, adulterium, parricidium, etc., duplicem habent malitiam, quia in unaquaque hujusmodi actionum duplex offenditur virtus, ut patet.

2° *Quando diversa violantur officia ejusdem virtutis:* v. g., idololatria et superstitio specie differunt, quia diversa officia virtutis religionis violant, idololatria cultum soli Deo debitum creaturæ exhibendo, et superstitio cultum illegitimum Deo rependendo.

3° *Quando eadem virtus offenditur, vel modo contrario, ut liberalitas per avaritiam et prodigalitem, vel modo diverso, licet non contrario, ut justitia per furtum, detractionem et homicidium.*

Hæc omnia sola expositione clara fiunt, et ab omnibus theologis admittuntur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

## DE DISTINCTIONE NUMERICA PECCATORUM.

Peccata numero distinguuntur quando unum non est aliud, et numerari possunt, dicendo; unum, duo, tria, etc., v. g., unum furtum, duo homicidia, tria adulteria, etc.

Certum est ubi peccata specie differunt, a fortiori numero illa differre, v. g., homicidium et furtum non esse unum peccatum, et in unico parricidii actu duo esse peccata, seu unum peccatum duobus æquivalens.

Sola difficultas est quomodo peccata intra eandem speciem commissa, sint numero diversa: pro qua solvenda tres statuuntur regulæ.

1° Tot sunt peccata quot sunt actus externi completi: unde qui diversis actibus plures occidit homines, tot commisit homicidia numero distincta.

2° Tot sunt peccata numero distincta in uno et eodem actu, quot sunt objecta distincta, quia ille actus, licet unus, tot habet malitias distinctas; hinc qui uno actu decem occidit homines, decem committit homicidia; qui uno verbo de tota communitate injuste detrahit, tot committit injustitias reparandas quot sunt personæ in communitate; sacerdos in statu peccati mortalis existens, tot committit sacrilegia quot administrat sacramenta distincta.

3° Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti; ubi enim actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et iteratione multiplicantur. Ergo.

Actus autem voluntatis moraliter interrumpuntur, 1° per revocationem expressam, v. g.: tibi complacebas in delectatione morosa, actum displicentiæ elicis et postea ad eandem redis delectationem, duplex est peccatum; 2° per cessationem etiam involuntariam, v. g.: consilium aliquid furandi iniisti, pergis ad illud explendum; sed occurrentibus objectis distractus, propositum oblivisceris: illud deinde renovas, novum admittis peccatum;

3° per longum intervallum, ita ut iudicio prudentum virorum idem actus voluntatis moraliter perseverare non censeatur, neque in se, neque per actus externos virtute illius existentes, v. g. : delectationi venereæ ante somnum consensisti, et expegefactus consensum renovas, peccati numero duplicis reus es.

Unde peccata interna multo facilius multiplicantur quam externa, quia actus voluntatis nihil habent vi cuius perseverent, et tot sunt numero peccata quot iterantur actus, etiam post brevem et involuntariam cessationem. Actus vero externi longe facilius per continuationem perseverant et frequenter unicum est peccatum, quam vis plures exerceantur actiones ad eundem finem tendentes, v. g. : ex voluntate inimicum occidendi, paras gladium, equum ascendis, iter facis, eum percutis, vulneras, et tandem occidis, unicum est peccatum homicidii, quo in confessione declarato, actus ad illud patrandum exercitati sufficienter intelliguntur, nisi exstisset intentio in illis sistendi, vel notabile inter eos fuisset intervallum; tunc enim essent peccata distincta et declaranda.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### DE CIRCUMSTANTIIS PECCATI.

Notavimus in Tractu de Actibus humanis, t. iv, p. 490 et 491, quid intelligendum sit per circumstantias, et ostendimus moralitatem actuum humanorum desumendam esse ex circumstantiis, sicut ex objecto et fine. Aliæ autem species mutant, quæ videlicet novam addunt malitiam a malitia actus principalis specie distinctam, et aliæ intra eandem speciem augent malitiam. Si tanta sit augmentatio malitiæ, ut seorsim sumpta ad constituendum peccatum mortale sufficeret, dicitur notabilis; secus, est levis: id ex iudicio viri prudentis determinandum est, habita ratione personarum et omnium adjunctorum.

Septem communiter numerantur circumstantiæ peccatorum sequenti versu expressæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1° Circumstantia *quis* denotat personæ operantis qualitatem accidentalem, v. g., an sit Deo consecrata per voti solemnem aut simplicis emissionem, per Ordinum susceptionem; an sit soluta vel conjugata, etc.; modo speciem peccati mutat, ut si peccans contra castitatem sit sacerdos; modo malitiam intra eandem speciem auget, ut si idem sacerdos se inebriet, vel scandalum præbeat.

2° *Quid* significat qualitatem objecti circa quod peccatur, ut si monialem, conjugatam vel consanguineam concupiscas, et species mutatur; vel quantitatem materiæ in qua peccatur, an sit magna vel parva, nociva, scandalosa, etc., et tunc aut species mutatur, aut malitia tantum augetur.

3° *Ubi* denotat circumstantiam loci in quo patrat actio. Raro hæc circumstantia auget malitiam intra eandem speciem, nisi agatur de scandalo: at sæpe mutat speciem, novam addendo malitiam, sacrilegii, si locus sit sacer; injustitiæ, si ratione loci honor vel fama alicujus lædatur; aut scandali, si delictum alios inducat ad peccandum.

4° *Quibus auxiliis*. Hæc circumstantia designat personas, instrumenta aut media quibus peccans utitur, v. g., si quis alium induxerit ad peccandum, et est circumstantia scandali; si rebus sacris usus fuerit, et erit sacrilegium; si media superstitionosa adhibuerit, et erit offensa contra religionis virtutem.

5° *Cur*, id est finis quem agens sibi proponit, ut si quis det eleemosynam ad seducendam puellam, et tunc mutatur species; vel uni furetur scalam ut pecuniam apud alium furetur, et duæ sunt malitiæ solo numero distinctæ, et tamen declarandæ.

6° *Quomodo*. Modus quo fit actio sæpe malitiam auget aut minuit, si nempe fiat scienter aut ignoranter, cum pleno aut semipleno consensu, ex aliorum suasionem, metu, precibus, vel ex propria determinatione, ex intentione vehementi vel remissa, etc. Aliquando tamen

speciem mutat, v. g., circumstantia violentiæ in furto constituit rapinam, in fornicatione facit stuprum; modus sævitæ in cadaveribus occisorum addit homicidio malitiam feritatis; modus peccandi ex formali contemptu, ex inobedientia, ex ingratitude, ex odio, ex invidia, ex superbia, etc., addit peccato propriam hujusmodi vitiorum malitiam, modo tamen expressa voluntate hæc intenduntur; alioquin essent duntaxat circumstantia generales in omni peccato plus minusve existentes.

7<sup>o</sup> Quando significat tempus quo fit actio: nunquam speciem mutat, nisi tempus aliqua speciali lege sit præscriptum aut prohibitum, v. g.: si quis ex voto, vel ex pœnitentia sibi injuncta, Missam singulis diebus audire teneatur, eamque die festivo omittat, circumstantiam diei festivi declarare tenebitur. Ubi vero hæc circumstantia sumitur tantum pro duratione actionis, speciem non mutat, sed malitiam notabiliter aggravat, si mora sit notabilis vel extraordinaria.

## PARS SECUNDA.

### DE PECCATIS IN SPECIE.

Peccata dividuntur in originale et in actuale: peccatum actuale est mortale vel veniale; commissionis vel omissionis; carnale vel spirituale; ex infirmitate vel ex malitia; contra Deum, proximum aut seipsum; cordis, oris et operis; capitale vel non capitale.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum originale, sic dictum quia ab origine nostra seu ab Adamo primo parente nostro provenit, definitur: *Peccatum a primo parente in posteros per generationem*

*transmissum.* Dicemus 1<sup>o</sup> de illius existentia: 2<sup>o</sup> de illius natura; 3<sup>o</sup> de ejus transmissione; 4<sup>o</sup> de ejusdem subjecto, et 5<sup>o</sup> de illius effectibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE PECCATO ORIGINALIS EXISTENTIA.

Peccati originalis existentiam negarunt Pelagius et discipuli ejus Cœlestinus et Julianus, in quarto sæculo; Albigenses in duodecimo; Anabaptistæ in decimo sexto; deinceps Sociniani et nunc innumeri increduli nostri.

#### PROPOSITIO.

*Existit peccatum originale.*

*Prob.* Hæc propositio est de fide; probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1<sup>o</sup> *Est de fide.* In pluribus enim conciliis et a pluribus summis Pontificibus definita fuit contra Pelagianos, ut vidimus in Tractatu *de Gratia*, et concilium Trid. eam ut de fide catholica tenendam tradit, sess. 5, speciali decreto cui titulus: *De peccato originali.* Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> *Prob. Scriptura sacra.* Rom. v, 12: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde mors est pœna peccati, et iis infligitur qui peccaverunt in Adamo: porro omnibus infligitur, parvulis sicut adultis; omnes igitur peccaverunt, et peccati Adami participes facti sunt; non autem peccaverunt per imitationem, ut volebant Pelagiani, quia parvuli non sunt imitationis capaces: ergo peccati originalis infecti nascuntur, juxta hæc verba: *in quo, id est in Adamo, omnes peccaverunt.* Quod, ad Eph. II, 3, sic exprimit idem Apostolus: *Eramus natura filii iræ sicut et cæteri.* Judæi enim, ut pote ex genere sancto orti, alios populos aspernabantur ut immundos: B. Pau-